



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

21 Ordines minores Dominicis, & aliis festis diebus simul omnes conferri  
possunt, secus de majoribus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

officio suo se gerere debeat, & tangit candela-  
delabrum cum candela extincta ab Episcopo  
potrectum, ut sciat, se ad accendenda  
Ecclesiæ luminaria mancipari, & urceol-  
um vacuum ad suggerendum vinum in  
calicem, *cap. Acolythis, 23. dist.* Exorcista  
accipit de manu Episcopi libellum, in quo  
scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episc.  
Accipe, & commenda memorie, & habe  
potestatem imponendi manus super ener-  
gumenos, sive baptizatos, sive cathecu-  
menos, *c. Exorcista, ead. dist.* Lector cum  
ordinatur, Episc. facit de eo verbum ad  
plebem, postea tradit ei codicem, in quo  
lecturus est, dicens: Accipe, & esto relator  
verbi Dei, habiturus, si fideliter, & utiliter  
impleveris officium tuum, partem cum iis,  
qui verbum Dei bene administraverunt ab  
initio, *cap. lector, ead. dist.* Ostiarius cum  
ordinatur postquam ab Archidiacono in-  
structus fuerit, qualiter in domo Dei de-  
beat conversari, ad suggestionem Archid.  
tradit ei Episc. claves Ecclesiæ de altari,  
dicens: Sic ages, quasi redditurus Deo ra-  
tionem pro his rebus, quæ his clavibus  
recluduntur, *c. Ostiarius, ead. dist.* & in  
*cod. Pont.* ubi de omnibus Ordinibus ha-  
betur.

19 Clerici ꝛ comam nutrire prohibentur,  
quorum caput desuper in modum sphæ-  
ræ rasum esse debet, *cap. psalmista, cum  
duobus seq. ead. 23. dist. cap. 1.* quod de  
omnibus ordinibus tradit, *25. dist.* Or-  
dinum autem ministeria, nisi per consti-  
tutos in eisdem ordinibus exerceri non  
possunt, ut capit. Acolythus, *cap. Exor-  
cista, c. lector, cap. Ostiarius, cap. Psal-  
mista, 23. dist. cap. illud, in cap. singulis,  
cap. quicumque, 77. dist.* & Conc. Tri-  
dent. *cap. 17, de reform. sess. 23.* Clerici

verò conjugati non bigami in ministeriis  
quatuor minorum ordinum se possunt  
exercere, *cod. c. 17. de reform. sess. 23.* &  
sine examine ordinati sunt deponendi,  
*cap. ult. 24. dist.*

Tempus ordinationum ꝛ regulariter est  
quodlibet sabbatum quatuor Temporum,  
sabbatum præcedens Dominicam Passio-  
nis, & sabbatum sanctum, *cap. sanè, & ca-  
pit. de eo de temp. ord.* & ibi Abb. *num. 1.*  
& Conc. Trid. *cap. 9. de reformat. ead. sess.  
23.* Quatuor temporum jejunia celebran-  
tur, primum in initio Quadragesimæ, se-  
cundum in hebdomada Pentecostes, ter-  
tium in Septembri, & quartum in Decem-  
bri, *cap. statuimus, 76. dist.* & ordinantes,  
ac ordinandi jejuni esse debent, *cap. quod  
à patribus, & cap. sequenti 75. dist.* ꝛ Mi-  
nores ordines Dominicis, & aliis festivis  
diebus simul omnes Episcopi conferre  
possunt, *c. de eo, junct. gloss. 2.* & ibi Abb.  
*nu. 1, de temp. ord.* non tamen omnibus, sed,  
si ita Episcopo visum fuerit expedire, &  
iis, qui saltem latinam linguam intelligant,  
*c. 11. de reso. sess. 23* ꝛ Majores verò tantum-  
modò temporibus supradictis, & post an-  
num à susceptione postremi, nisi necessi-  
tas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episc. a-  
liud exposcat, ita quòd judicio Episc. qui  
ab interstitiis ex causa potest dispensare, est  
relictum, *d. c. de eo, cum ibi not. eo. c. 11. de  
res. sess. 23.*

Ordinari ꝛ nemo potest à non suo Præ-  
lato sine litteris dimissoriis sui Ordinarii  
prævio examine excessis, alioquin ordi-  
nans à collatione ordinum per annum, &  
ordinatus à susceptorum executione  
quàm diu proprio Ordinario videbitur ex-  
pedire, est suspensus, *cap. 1, & 2, 9, 2, c.  
1, & 2, 21, 9, 2, cap. 2, & 3, de temp. ord. in 6.*

E

&amp; Conc.